



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

Gomez, Cristobal

Antverpiæ, 1681

Augustinus Spinola n. 27

urn:nbn:de:hbz:466:1-38486

adessent Patres. Ita in *Jmag.* 1. *sec. Societ. lib. 6. cap. 5. fol.* 882.

26. * A DIDACO GVZMANO, etiam Patriarcha, & Archiepiscopo Hispalensi, una cum toto suo Capitulo Ecclesiastico, in *Edicto professo Sanctiss. P. N. Ignatij recipiendo, à se promulgato ann.* 1628. die 28. Jun. scribendoque *infra Class 6. A Sacris Senatibus.* Consule ibi dicenda: & hic adde; Cardinalem hunc eminentissimum afferrisse, Societatem fructum facere magnopere copiosum, & sua virtute, literis, doctrina, & exemplo cumulatam. Ita apud *P. And. Luc. in vit. S. Ignat. lib. 4. cap. 18. Idem in vita Margaritæ, quam aureo scripsit calamo Par. 2. cap. 23. dicit, Societatem ab Imperatoribus Patribus, Auisque Reginae Margaritæ singularibus fauoribus & gratijs honoratam.* *

Societatis fructus copiosi, virtute, ac doctrina cumulati.

Ab Imperatoribus honorata.

27. * AB AVGVST. SPINOLA, etiam Hispalensi Archiepiscopo, qui viuis amorem, mortuus corpus nostræ Societati in Professorum Domo dedit: quam Societatem vocauit aliquando, Plantam generosam, & caelestem per omnem terram ramos breuiter extendentem, dantemque fructus copiosissimos per totum Orbem prædicatione, doctrina, literis, & exemplo. Ita apud *And. luc. cit. vit. S. Ign. lib. 4. cap. 18.*

Planta generosa, ac caelestis:

Per totum Orbem copiosissimis fructibus dilatata.

28. A BERNARNO SPADA Cardinali dignissimo, qui in Sacra, particularique Congregatione ab Innocentio X. Pontif. Max. deputata, in Monitorio, seu Decreto ultimo ad fauorem PP. Societatis Angelopolitane, Ioannem de Palafox Antisitem Angelopolitanum ad eius amorem adducere, suo, ac Eminentissimorum nomine, his verbis contendit. Te etiam, atque etiam hortamur, vt ea qua decet in tam laudabilem, proficuumque Ordinem estimatione, Religiosam hanc Familiam in Vineam Domini summo cum fructu ac labore desudantem paterna charitate amplectaris, ac foueas, &c. Ita pag. 1. dicti Monitorij Societati perquam honorifici, vt videre est in Processu, & sine Causa Angelopolitane, Romæ typis edito, die 5. Nouembris ann. 1653.

Comendatur Episcopo Angelopolitano.

Religiosa Familia in vinea Domini summo cum fructu, ac labore desudans.